QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 18. Januarii 1714.

M. CLAUDIO BURLET, Doctore Medico Regiæ Scientiarum Academiæ Socio, Hispaniarum Regis Archiatro Præside.

An pluribus Hispanorum morbis Remedium efficax Balneum?

I.

HISPANIA Regio Europæ Occidentalis vastissima, quam juga Pyrrhenea & utrumque mare circumscribunt. In citeriorem & ulteriorem olim divisa. Nobilis quæ fuit Romanis bellorum campus, nec infrequens posthàc Barbaris triumphus. Idem ille hodiè terrarum tractus, quem sua jamnum dividunt Regna & Provinciæ, unius Regis Potentissimi partum simul & hæreditarium Dominium est. Hujus imperio subjecti Populi parùm aut nihil ab antiquis moribus recesserunt. Hi quoque gloriæ imprimis appetentes, constanti fide & obsequio, erecto in adversis animo, propositi tenaces, ne tempore quidem & tædio franguntur. Callidis aptisque ad magna consilia ingeniis; corpore non ita robusto nec adeò firmâ valetudine. Iisdem quibus & cæteræ Nationes, communibus morbis obnoxii, suis prætereà laborant, quorum causas propriosque characteres ex Regionis situ, Populorum indole, victûs discrimine, moribus, consuetudine repetas. Morborum communis in acutos & chronicos divisio est. Inter acutos obviæ febres raró in Hispaniâ benignæ, sicuti continuæ, ut plurimùm ardentes, perniciosæ, quas vernaculè *Tabardillos* nuncupant. Quanquam hoc nomine Perechiales solas, Purpuratas, & quaslibet de hâc prosapiâ rectè indigitaveris, promiscuè verò putridas simplices, nec insolitas perperàm. Voce enim illâ, ut Plebs ferè semper, sic etiam Medici sæpè abutuntur, & utrasque febres confundunt. Intermittentes quoque notaveris pravissimi moris, tùm maximè cùm in Syncopales abeunt, rarum febris alibi genus, Castellanis & Matritensibus non insuetum. Illa rigore in principio, in declinatione profusis sudoribus, Tertianæ morem utcumque imitatur: in hoc tamen multò dissimilis, quod καρδιωγμῷ, enormi vomitu, summâ virium prostratione, contractione pulsûs, extremorum refrigeratione, ni promptè succurratur, secundâ aut tertiâ accessione tollit. Variolis nec tanta illic deprehenditur malitia, ut citò, nec cum tanto naturæ molimine erumpunt, sic facilè, & ut plurimùm securè evanescunt. Pleuritides, Anginæ, Tusses, Peripneumoniæ Septentrionalibus Populis familiares, & libitinæ quæstus acerbæ, Hispanis infrequentes, nec tot funeribus infames. Diarrheæ; Cholera morbus, Dysenteriæ ut ab iisdem producuntur causis, sic sub iisdem æstatis autumnive grassari solent temporibus, nec à nostris distant, nisi quod difficiliùs cedunt, & in viscerum ulcerationes sæpiùs transeunt. Non modò morborum acutorum in aliquibus, sed & chronicorum dispar ratio est. Chronici vel transmittuntur à Parentibus in liberos, multò sæpiùs propter vitiatos luxuriâ mores, victumque inordinatum inducuntur: interdùm etiàm ab acutis decidui, sic ab iis tanquam

à radicibus progerminant. Inter priores venit Epilepsia infantibus utique inimica, ut & Podagra senibus. Scorbutus rara admodùm mare non transcurrentibus noxa. Omnium frequentissima Venerea *a* lues, Hispanis non tam turpe creditum aut formidabile malum, quo quis inficitur, non raró inducias habet, non pustularum citâ eruptione, ulceribus depascentibus, tantâque aliorum Symptomatum fœditate coactus, sed attenuatâ magis & per διαφόρεσιν fortè exhalante singulis diebus aliquâ contagii portione, quodammodo consistit, à solitis vitæ muniis vix distrahitur, causarius aut summùm quetulus, vagis lacessitus doloribus, hanc comitem sibi luem cum pallore & macie ad senectutem usq; aliquandò perducit. De posteriorum ordine annotatione dignus peculiaris characteris affectus, dolor colicus quem de *b* *Tripas* vocant. Is raró solitarius se profert, vel febres antecedit intermittentes, vel subsequitur, nonnunquam conjunctas habet. Sensus est ventriculi tenuiumque intestinorum asperrimus & molestissimus, non multùm à dolore colico Pictonum abludens, sub quo adstrictior parùm rejicit alvus. Multa inflatio incidit per totum abdomen, magis quâ ab umbilico superiùs tendit; inest modò eructatio, modò vomitus: diuturnus admodùm & qui cruciantis doloris recidivas facit morbus, remediis non facilè mitescens, in spasmos abiit & paralyses, nec minùs parcit exteris, quàm indigenis. Ab eo aliquo recedit intervallo Melancholia, vulgò Hypocondriaca aut flatulenta dicta, communis utique Iberis affectio, plena invenustatis, vel hoc uno dignoscenda symptomate, ventris scilicet obmurmuratione, rugitu, crebrâque per os flatuum emissione. Duri glandularum collo adnascentium tumores, Broncocelem, strumas intellige, quæ omnes magno negotio tolluntur, Pueris cùm frequentiùs accidunt, tùm adultis, aut jam senibus rariùs. Omnium rarissima ægritudo calculus est. Icterus, Hydrops, Paraplegia, Chlorosis, Asthma, & id genus morbi Medicorum cruces, solitâ facie multis quoque passim in locis proferuntur: sed præ cæteris Tabes, quæ ut chronicorum ultima incumbit, sic ipsa ultimus plerumque vitæ terminus est.

II.

MORBORUM species, occurrentes in his pro diversis locis differentias, attendere non satis est. In causarum etiam ex quibus fiunt indagatione morari oportet. Nec enim rectè curabit, quem malorum origo fefellerit. Causas tamen cave ne scruteris abstrusiores nimisve reconditas, sed patentes solas & sensibus subjectas. In hoc te Medicum secernas à Philosopho merè inani & speculativo. Nec te rapiat malè cautum novorum systematum libido vesana, quæ si fortè discurrentibus aliquid attulêre subtilitatis, at certè medentibus multò plùs reliquerunt obscuritatis. Inter hæc à quibus evidenter afficitur homo, & utraque valetudo dependet, quàm præcipuus aër, quanta & alimentorum potestas est. Aëris plùs minùsve Hesperiis plagis præfervida obtigit & sicca constitutio, terra arida, pluribus in locis inculta, montibus aspera, egens aquarum. Alimenta proindè magis exsucca, uberiori, eoque fixiori impregnata sale, corpora nimiâ transpiratione marcida, humore destituta sunt. Ad ea tanquam generaliora primùm attenderis, ultrò in examen veniat proprius incolarum vivendi modus, ipsorum & alimentorum delectus, in quibus ut cæteræ Nationes, sic Hispani multa quoque delinquunt. His tribui solet aliqua laus sobrietatis: Germanorum aut Gallorum more, non illos mensarum apparatus, non larga convivia, non pocula delectant; sed suo non minùs aberrant modo, quos juvat Chocolatæ & Saccharatorum usus immoderatus, quorum palato Allium, Caules, Cæpæ, fructuum crudorum, quin etiam aliquorum *c* nocentium, genus omne tantum sapiunt, cibique sine pipere & croco prorsùs insuaves; qui vina sua dulcia, nec tenuia si quandò sobriè gustant, frigido potu quotidiè se proluunt, & id genus alia pro consuetudine faciunt, quæ parùm

a Las Bubas, o mal Gallico quamquam immeritò, rectiùs mal Americano, quo primi omnium Hispani Europam conspurcarunt.

b Dolor de Tripas vel Entripado.

c Berengenas, Tomates, solanorum species.

naturæ ſuæ & regioni accommodata, multa ſecum ferunt incommoda. Ab hoc fonte morborum enumeratorum cauſas rectè deduxeris. Multiplici ſanguinis & ſeri per habitum effluentis vitio à nimiâ aëris ſiccitate, vel æſtu, vel quâlibet aliâ ſubitâ mutatione, nec minùs à perflantibus ventis, tribuas quidquid de genere acutorum eſt; non ſecùs ac læviores eas ægritudines hyberno præſertim tempore adorientes, quas *conſtipationes & resfriados* Vulgus appellat; Chronicorum verò majori ex parte parentes agnoſcas malas chyli elaborationes, congeſtos in ventriculo ſuccos pravos, à quibus lenta eidem ſanguini aſpergitur labes, multaque viſceribus damna ſuccreſcunt. Promptus ardere, inflammari, quin etiam putreſcere Hiſpanorum cruor eſt, lædi facilis ventriculus. Non igitur mirùm, ſi quæ paſſim invadunt febres, magis infidæ, minùs deflagrationis internæ, putrediniſque expertes videantur. Non aliâ ratione tam inſolitas, tamque exitioſas ſyncopales, non purpuratas aliter infenſas judicaveris, quàm quia inſignis plerumque illis putredo, aut inflammatio conjuncta eſt, quæ in febribus ultimus malignitatis gradus, καύσος nomine ipſi Hippocrati non ignotus. Effervere, inflammari, putreſcere ſanguinem fortè rides & explodis? Quaſi verò fermentari, ſolvi, coagulari, præcipitari, nova id genus verba novi aliquid menti objiciant, aut plus afferant in Medicinâ claritatis. An ideò deſerenda, ſi priùs benè intellecta Veterum de febribus doctrina, quæ in diſtinguendâ earum causâ, notando ſingularum charactere tam præcipua eſt, medentique non vagas, ſed aliquantò magis ſtabiles indicationes aperit. Melancholia, flatus, Hypochondriaca paſſio, doloris colici pertinaces inſultus, febrium intermittentium recurſus, Cachexia, Tabes, tota illa chronicorum familia, num ab alio generantur principio quàm à multiplici illo mutuò errore notato? Culpanda, ſi benè calculum poſueris, tot inde naſcentia ſecretionum utilium impedimenta, & inducta lymphæ alibili, totique moli ſanguinariæ multiformis dyſcraſia. Culpanda viciſſim in artificiosâ ſolidorum compage deficientia multâ ex parte inſtrumenta. Procul hinc nimis ibi, non à Plebeio tantùm credita * faſcinatio, quâ per corpuſculorum effluvia, maximè viſûs interventa, contactæ infantium aut adultorum corpora tabeſcere, conſumi traditio eſt. Vetulas maleficæ hujus artis peritas, quæ domos adeunt aut per vias occurrunt, inveniri fabula eſt. Qui per ſe vel inſoliti apparent, vel nimis rebelles affectus, ſummo languore infantes pariter & adultos conficiunt, à cauſis naturalibus dependent, Medico rerum Phyſicarum & Anatomicarum gnaro non latentibus. Univerſam morborum intelligentiam tenere poteſt, & eorum quæ corpori accidunt, rationem invenire, cui benè intellecta eſt ſolidarum partium ſtructura, non ignotâ fluidarum potentiâ. Hâc præſertim cognitione inſtructus, ſciverit morborum internoſcere diſcrimina, iiſdem aptare remedia tantò ſolertiùs ac ſecuriùs, quantò magis ad multas res, ad aëris qualitates, alimentorum vires, propriamque gentis naturam attenderit.

III.

MORBIS adhibere remedia, ſanare, tota in hoc verſatur medendi ſcientia, quæ cæterarum diſciplinarum vices experta, apud varias Europæ nationes quibuſdam temporibus magis, aliis minùs exculta eſt. Suos Hiſpania non à longinquo temporum intervallo, Profeſſores habuit clariſſimos, inter quos Valleſius, Mercatus, Garcia, Heredia, Bravus, &c. qui in Hippocratis aliorumve Antiſtitum volvendis operibus, illuſtrandis aut amplificandis maximam operam poſuerunt. Paululùm abhinc ſeu bellorum aſperitate, ſeu metu novandi, aut quovis alio fato bonarum literarum ſtudia deferbuerunt, & aliquis Medicinæ honos deceſſit. Hinc tantâ diligentiâ quæſita alibi recèns inventa, ſegniùs eò pervenerunt, ſtetitque plures annos ſine incremento, unis Veterum dogmatis quaſi mancipata ſalutaris profeſſio. Remediorum indicationes ut à morborum genio cauſiſque depromuntur, ſic magna illa curationum inſtrumenta, venæ ſectio & purgatio ferè in omni morbo locum inveniunt. Exulet αἱμοφοβία nulla non in regione damnata illuſio, humano generi exitioſa. Hiſ-

* Mal de ojo.

panis Lusitanisque sanguinem cucurbitis, Hyrudinibus, sed maximè incisâ venâ liberali manu mittere, vetus est: nec sine ratione, cui præsertim remedio potis est nimios sanguinis æstus temperare, exundantis impetus coercere, turbatos & devios humores ad secretionem componere, putredinem arcere, omni succurrere inflammationi. Quibus effectis si suo tempore ac modo debito instituta purgatio, si rectè præscripta vivendi ratio accesserint; febrium continentium vehementiorumque affectuum curationis pars maxima absolvitur. In acutis purgare morbo incipiente, ultrà Pyrrheneos montes consuetum, sed *minorativis*, ut loqui amant purgantibus, quibus primæ eluantur sedes. Mochlicis aut Valentiotibus uti remediis rarissimum. Timidi & diffidentes medentium plerique abhorrent à stibio quod non norunt, quidam illius pavent nomina, effectum reformidant, necdum antiquum illis præjudicium excussum est. Sua licet Hispanorum siccior ardensque constitutio calidiora vetat aut nimis activa remedia; non infrequentes attamen casus, ubi vel nimiâ scatens illuvie stomachus succuti debet, vel turgens humor efferus, omnisque incapax coctionis fortem requirit & citam evacuationem. His diebus quot Milites Hispanos Emeticorum beneficio servatos in castris vidimus, quot in urbe Plebeios, quos vulgaris & meticulosa medendi ratio non attigisset? De victûs autem ratione sic cogites, multùm ibi deflexum esse à vetustis alendorum febricitantium legibus tanto seculorum spatio servatis, quæ Ptissanas unas, paratasque ex concoctis cerealibus sorbitiones ægris decernebant. Nunc verò, nec ultrà centum annos, carnium jusculis uti mos invaluit, vicinatum Gentium exemplo. Quodque Hispanis maximè proprium & novum est, non ab usu Chocolatæ, non à Gallinaceæ aut Vervecinæ carnis elixæ ac comminutæ, quasi hoc leve putant alimentum, comestione, nisi gravissimis paroxismorum temporibus abstinere consueverunt. Quantò magis delinquit Medicorum quorumdam vulgus, dum in summo febrium æstu omni potione interdicit, ne aut intendatur, aut protrahetur febris. Quatenùs adjectâ novæ humiditatis copiâ, nativus calor infringitur, materia febrilis augetur, ejusdem coctio præpeditur, crises retardantur, &c. Quotum falsa illa & damnosa traditio, quam absurda ratiocinia & aliena à Medico, qui caloris naturam sanguinis fluxilitatem, necessariam salium attemperationem, corporis denique œconomiam noverit! Veterum suffragio, experientiæ, naturæ ipsi peræquè repugnat. Nec certè minùs est, cum tanto rigore febricitantibus potum negare, quàm tortoris vicem exhibere. Novæ Chymicorum opes, quibus luxuriat ætas nostra, *volatilia*, *sudorifera*, *digestiva*, *absorbentia*, *Tinctura*, *Quinta-essentia*, *Panacea*, &c. vix horum aliqua huc usque pervenire, aut fidem apud Medicos potuerunt invenire, utpotè acriora illa, aut evecta nimis, immanes turbas in sanguine, ebullitionesque movere apta nata: plurima quoque multò plùs artis ostentationi, quàm ægrorum utilitati inservire credita. De *Specificis* longè alia opinio percrebrescere jam cœpit. Unum omnium instar, corticem Peruvianum intellige, Palmarium illud remedium, auro ipso, cui & idem natale solum est, pretiosius, quod primi omnium Hispani advexerunt, omnium ultimi commendarunt, meritisque exornarunt laudibus. Huic celerrima nec minùs secura vis est ad profligandas febres non intermittentes solas. Compendiosa certè & admirabilis Medicina, quæ ab omnis generis febrium tyrannide Hominum millia liberavit. Non unus illius exhibendi modus, non unica virtus febri-fuga. Peritioribus cum *Purgantibus*, *Diaphoreticis*, *opiatis*, &c. admiscere, illius vires consociare notum est. Quo pacto flatulentis dolore colico vexatis, ἀπεψίᾳ laborantibus, καχεκτικοῖς plurimùm prodesse usus quoque didicit. Multa alia in usum medicum venire solent remedia. Sed nulla certè pluribus morbis ipsique Gentis naturæ accommodatiora, quàm Diluentia, Humectantia, Attemperantia, inter quæ cæteris longè præstare, omniumque efficacissimum esse Balneum, vel leviter attendenti patebit.

BALNEI nomine corporis in aquâ vel naturâ vel arte calefactâ lavatio intelligitur, cujus quidem usus antiquissimus est: non ignotus Hebræis, vel hoc ipso de formosissimâ Bethsabe, deque pudicissimâ Susannâ Sacrarum Litterarum testimonio. Populis Orientalibus, atque omnibus ferè Asiaticis, maximè verò Græcis, deinde Romanis olim familiarissimus. His non modò ad curandam cutem, firmandam valetudinem, sed ad morborum etiam depulsionem magni putabatur momenti. Quocirca non privata tantùm, sed & publica ferè ubique in Latio, subjectisque Imperio Romano Provinciis magnâ sumptuum erogatione Balnea construebantur: quibus & Thermarum, sic ubi sponte & calidæ fluebant aquæ, nomen promiscuè impositum. Hæc religiosè, imò à multis quotidiè, tanquam munera Deorum frequentabantur. Mirum quòd nunc pœnè exoleverit id consuetæ lavationis genus, suave quoddam, nec injucundum vitæ cibique quotidiani condimentum, planèque in medicinales usus abierit. Per Balneum quo vix jam aliter quàm remedio utimur, tepefactæ & dulcis aquæ salium intellige, ubi quotidiè semel aut iterum diutiùs & quietè continetur æger. Quod si ab imis tantùm pedibus, vel feminibus usque ad umbilicum, ita ut supernæ partes non madescant, semicupium nuncupari solet. Balnei dotes eximiæ, quas ab ipsis aquæ viribus repetas. Aqua moleculis constat teretibus plurimâ aëris portione fœtis, flexibilibus, glabris, undulatâ motione perenniter agitatis. His se se insinuare, cujuscumque figuræ poros subire, permeare, salium quoque compagem solvere, vim eorum obtundere datum est. Is igitur tepentis aquæ primùm concipitur effectus. In patentem undequâque corporis habitum illius impingunt particulæ, cutis aperiunt spiracula, hærentia subtùs à perspiratione aut sudoribus effluvia detergunt. Inde verò caloris quem secum vehunt & à corpore mutuantur, adminiculo, roris aut tenuissimi vaporis in modum penitiùs subeuntes vasorum ostiola subingrediuntur: quo pacto intimos usque pervadunt corporis recessus, sanguinis & lymphæ quibus se commiscent, interventu utrique acorem mulcent, fluorem impertiuntur. Quid plura! Posito quod vero proximè accedit, ex solidorum libero elatere, fluidorumque obsequenti fluxilitate, sanitatem ac vitam majori ex parte pendere, fibrarum quædam rigiditas, qualis in pluribus morbis occurrit, Balnei humectatione tollitur, impacta glandulis durities mollitur. Unde *oscillationis* fibrillis motus restituitur, succi comminui, præterfluere minùs indociles fiunt & ad secretionem paratiores. Nec si juvant interdùm aliâ prorsùs ratione juvant, quæ hîc extrinsecùs pluribus in morbis applicari remedia, nondum in desuetudinem abiit. Qualia sunt recèns mactati Vervecis [a] omenta Epigastricæ regioni, raso capiti aut plantis pedum Hyrundinum & Columborum pulli calentes, plurima vel oleorum, vel coctarum herbarum fomenta, ipsamet usûs ferè quotidiani Vesicatoria, quorum aliis particulæ molles, aliis activæ, tenues, pororum cutaneorum apertione si quandò se insinuant, non calorem internum foràs attrahunt, non malignas corruptorum humorum expirationes ad ambitum evocant, quemadmodum discurrebant Antiquiores, sed ex meliùs intellectâ corporis Mechanicâ, tensivum fibrarum tonum laxando, membranis mollitiem impertiendo, toti solidorum compagi alternos contractionum & vibrationum nisus adjuvando, tardatos succorum gressus incitare, eorum subactionem promovere utcumque possunt. Quantò majora sunt & tutiora ex Balneo petita auxilia in his præcipuè morbis quorum non celer impetus, ubi deliberationi & mutationi remediorum tempus patet, quibus ut plurimùm comes obstructio lenta, crassamenti sanguinis non tam fictitia proles, Hispanis longè quàm aliis communior labes. Si dubitas, delineatos à nobis affectus, causasque reminiscere, attende ad sicciorem qui non paucis quasi nativus est, habitum, ad colorem cutis ictero proximum. Non te prætereat aëris jugiter inspirari calori juncta tenuitas, crassior alimentorum substantia, quæ omnia laudabilis in sanguine humiditatis defectum arguunt, adusta indicant humoris

[a] Redanos appellant.

biliosi recrementa, fœcunda totidem infarctuum in vasis, in glandulis obstructionum semina. Varias ab his causis contingere corpori obstructiones, nemo oculatus negaverit. Quæ vix sensum effugiunt in statu naturali glandulæ complures, quæ vix microscopii ope deteguntur Glandulæ. Molles, in memoratis affectuum generibus duræ, schirrosæ, pisorum magnitudine conspicuæ præbentur. Morborum sint ne fœturæ, an parentes quorsùm tàm sollicitè quærere? Cùm morbus ipse & causa morbi in curatione oppugnentur, utrique conjunctim debellando in aperientibus, laxantibus, &c. Medicina quæratur. Glandulis quoque utrum sit peculiaris structura, sola ne Arteriarum plicatura, aut flexura, haud multùm medentis intereft? glandulæ agnita secretionum instrumenta, quarum modum si non bene callueris, secretiones non ideo negaveris. His non tritura sola, non succorum tenuitas sufficit. Prævia hæc sit & tanquam ad eas necessaria dispositio; effectrix insuper causa, unicuique colatorio propria accedat oportet. Abstrusum secretionum mysterium, quod non fictitia Chymicorum fermenta, nec satis fida Anatomicorum scalpella hunc usque revelarunt.

V.

MORBIS pluribus mederi Balneum, quorumdam delinire symptomata, minuere aliorum fastidia, unanimis Medicorum consensus. Aliquas requirit cautiones, nec omnibus æquè convenit. Qui diuturnitate morbi nimis exhausti, aut senio jam graviore confecti, his Balneo interdicatur. Nec minùs illis quibus tenerior ætas, aut pulmonum ulcere, aliquamve aliam partem interiorem abscessu tentari suspicio est. Nullis non ægris si qua adest Plethora, submoveatur. Quâ ratione in morborum principio sæpiùs intempestivum, ferè semper nocivum est. Nihil remaneat febrilis æstûs, quem nondum domita satis & castigata bilis aluerit; cujus relliquiæ præpostero balneationis usu ut plurimùm reviviscunt, & novas turbas excitant. Alvinæ regionis tollatur omnis impuritas. Ritè demùm disponatur corpus, nec quidquam ex cautionibus & apparatu necessariò deficiat. Vesicæ & renum conducere affectibus, mitigare dolores, nulli non expertum est nationi. In hecticâ febre, in omni viscerum ardore, aut si mavis calidâ intemperie, primas tenet, nec minùs securè quàm feliciter adhibetur. Quo titulo id remedii proprio jure sibi vindicare potest Hispanica gens, tot siccitatis causis obnoxia, quam undique marasmi & hecticæ affectionis pericula circumstant. At enim quæ alia communior marasmi species in istis regionibus occurrit, quam illa Venereæ luis comes assidua, Balneum tanto opere reformidans, à quo longè plura damna quàm commoda derivari consueverunt? Nec enim spirituum sola exolutio, majorque proinde virium debilitas sequitur, sed veluti delibutis ab aquâ tepente & in actum promotis contagii seminibus, ante non visa symptomata proferuntur: crescit & novas ipsa ægritudo vires acquirit. Hoc est quod reponunt. Sed merum credas generis ignaræ præjudicium, aut absurdum quorumdam Medicorum ratiocinium. Si cum gravioribus signis ex Balnei usu venerea mala patefiunt, idcirco ne Balneo vitio statim verti debet, & culpandus illius effectus? Quodnam aliud Medici intentum est, quàm fomitem luis causam evolvere, diluere, apertiorem facere, quo paratior sit ad excretionem, nec si Balneum remedii, saltem lautionis admodùm necessariæ loco habueris, seu palliativam, seu radicalem morbi curationem aggrederis. Utrique auxiliares præstabit vires, in hâc hydrargyri, quod unicum novimus syphilidi remedium, victores reddit effectus, in illâ longè securiores procurabit inducias. Quæcumque ab aliâ causâ Tabes, marasmus, squallorve affecerint, his summo quoque futurum est adjumento. Blandis aquæ perfusionibus inusta partibus solidis aciditatis nota emendabitur, succos alimentitios deprædans calor acer demulcebitur. Non aliud feras de descripto dolore colico judicium, ubi illius causam cognoveris. Hæc ventriculi fundo, tenuibus intestinis ipsique mesenterio adhæret. Disseminatæ in his partibus glandulæ, intertexti numerosâ propagine nervorum surculi salinâ quâdam substantiâ opplentur, cujus in aëre, veriùs in vinis, & alimentis quærenda origo est. Eò continuò allabentes succi, Bilis, succus Pancreaticus, chylus ipse vitium

insigne conttahunt. Has si promptè ægritudinis causas blandotum purgantium, & diluentium usu repetito non sustuleris, si ptæscriptus posthàc corticis peruviani, *Martialibus*, *Nervinis aut opiatis* admixtus pulvis parùm profecerit, præsto erit Baineum. Nec minus tertianis & flatulenris affectibus, si quando contumaciores, ab iisdem, aut parvo saltem discrimine, causis foventut. Id Balneo consequetis, quòd molliores fianr glandulæ, diluantur sales, fluat & obsequatur humor. Sed si tanta malorum illotum pervicacia est, si soli cœlique mutationi nusquam cedunt, in hoc præcipuè superstitis paralyseos, & indutatorum viscerum casu frequentissimo, ad aquarum mineralium potum Thermasque tutissimè confugetis. His abundat Hispania præsidiis. Felices si sua bona satis nôrint incolæ, si quos aperuit Natura fontes saluberrimos, his servandis & ad utilitatem publicam componendis aliquid industriæ contulissent. Propriis suis opibus divites haud egent alienis. Aquas [a] sulphureas, [b] Nitrotosas [c] Salinas, [d] Saponarias plùs minùsve activas, [e] calidissimas, [f] Tepidiores purgantes, [g] diurethicas, ut & frigidas alias, Acidulas [h] & Vitriolicas, Aluminosas [i] ferrugineas, multis passim in Provinciis reperies. Sed his multâ ex parte fontibus deficiunt tam necessaria ægrotantibus hospitia, aliaque commoditatum genera: desideratur insuper physicis nixa expetimentis aquarum Analysis, & quod multò potius est, virium ipsarum ex numerosâ observationum recollectione conflata cognitio. Id omne licebit prope diem consequi Regis optimi, in subditorum suorum commoda salutemque invigilantis ptovidentiâ: sub cujus impetio Arma, Literæ, bonæ attes jamnùm vigete cœpetunt. Hoc quoque ex Regiâ benignitate spetant Medicinæ cultores, novum ipsis attique decus accessurum, nec quidquam eorum defuturum, quibus publica salus procuratut, inter quæ aquarum potus, & varia Balneorum genera tanquam utilissima & Hispanis propria remedia debere annumerati nemo non confitebitur.

Ergo pluribus Hispanorum Morbis remedium efficax Balneum.

[a] De Thiermes in confinio Arragonii, de Alhama in Regno Granatensi.
[b] De Teiüel in Arrag.
[c] De Arnedillo, de Trillo in Castella.
[d] De Sacedon.
[e] De Ledesma circa Salmanticam, de Fitero in Navatrâ, de Aruedillo, de Archene in Regno Murciæ.
[f] De Sacedon, de Tiillo.
[g] Del Toro circa complutum.
[h] De Puertollano in Campo de Calatravâ.
[i] Fons Boccii Burgensis Civitatis, &c.

Domini Doctores disputaturi.

M. Franciscus Aignan.	*M. Raymundus-Jacobus Finot.*	*M. Michael Pichonat.*
M. Jacobus Fourneau.	*M. Philippus Bernardus de Bordegaraye, Scholarum Professor.*	*M. Franciscus Picoté de Belettre.*
M. Michael Ludovicus Reneaume de la Garenne Regia Scientiarum Academia Socius.	*M. Jacobus-Simon Gilles de la Riviere.*	*M. Joannes Daval.*

Proponebat Parisiis CLAUDIUS-ANTONIUS RENARD, Parisinus, Baccal. Medicus, A.R.S.H. 1714.

Ex Typographia J. QUILLAU, Typ. Jur. Lib. Univ. in via vulgò dicta *Galande*.